



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

X. De gratitudine pro gratia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

CAPUT X.

De gratitudine pro gratia Dei.

1. **C**ur quæris quietem, cum natus sis ad laborem?

Pone te ad patientiam magis quàm ad consolationes : & ad crucem portandam magis quàm ad lætitiã.

Quis enim sæcularium non libenter consolationem & lætitiã spiritualem acciperet, si semper obtinere posset?

Excedunt enim spirituales consolationes, omnes mundi delicias, & carnis voluptates.

Nam omnes deliciæ mundanæ aut vanæ sunt, aut turpes; spirituales verò deliciæ solæ jucundæ & honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris mentibus infusæ.

Sed istis divinis consolationibus nemo semper pro suo affectu frui valet; quia tempus tentationis non diu cessat.

2. Mul-

2. Multum autem contrariatur supernæ visitationi falsa libertas animi, & magna confidentia sui.

Deus bene facit consolationis gratiam dando : sed homo malè agit, non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo.

Et ideo non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus auctori; nec totum refundimus fontali origini.

Semper enim debetur gratia dignè gratias referenti : & auferetur ab elato, quod dari solet humili.

3. Nolo consolationem, quæ mihi aufert compunctionem : nec affecto contemplationem, quæ ducit in elationem.

Non enim omne altum, sanctum : nec omne dulce, bonum : nec omne desiderium, purum : nec omne charum, Deo gratum.

Libenter accepto gratiam, unde semper humilior & timorator inveniar, atque ad relinquendum me paratior fiam.

G

Doctus

Doctus dono gratiæ, & eruditus subtractionis verbere, non tibi audebit quidquam boni attribuere: sed potius se pauperem & nudum confitebitur.

Da Deo, quod Dei est; & tibi adscribe quod tuum est; hoc est, Deo gratias pro gratia tribue; tibi autem soli culpam, & dignam pœnam pro culpa deberi sentias.

4. Pone te semper ad infimum, & dabitur tibi summum: nam summum non stat sine infimo.

Summi sancti apud Deum minimi sunt apud se: & quantò gloriores, tantò in se humiliores.

Pleni veritate & gloria cœlesti, non sunt inanis gloriæ cupidi.

In Deo fundati & confirmati, nullo modo possunt esse elati.

Et qui totum Deo ascribunt, quidquid boni acceperunt: gloriam ab invicem non quærunt: sed gloriam, quæ à solo Deo est, volunt; & Deum in se, & in omnibus Sanctis laudari super omnia cupiunt,

piunt, & semper in idipsum tendunt.

5. Esto igitur gratus pro minimo, & eris dignus majora accipere.

Sit tibi minimum, etiam pro maximo: & magis contemptibile, pro speciali dono.

Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum, aut nimis vile videbitur. Non enim parvum est, quod à summo Deo donatur.

Etiam si pœnas & verbera dederit, gratum esse debet: quia semper pro salute nostra facit, quidquid nobis advenire permittit.

Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro sublata. Oret ut redeat: cautus sit & humilis, ne amittat.

C A P U T XI.

De paucitate amatorum Crucis Jesu.

HAbet JESUS nunc multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ crucis.